

Franckesche Stiftungen zu Halle

**De Fermento Pietistico, In doctrina & vita, brevis
Commonefactio Joh. Georgii Sillenstedii.**

Sillenstede, Johann Georg

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], A.C. MDCCXXVIII

VD18 13484885

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200226](#)

Proprietary of the State Library

DE FERMENTO PIETISTICO,

In doctrina & vita,
brevis Commonefactio
JOH. GEORGII SILLENSTEDIL.

A. C. MDCCXXVIII.

158447
Hauptbibliothek
des Waagenhauses

Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet: *Conscientia mille testes.* Generosissimus & Summe Reverendus Dn. D. Krackevitzius hebbomade *Palmarum* pro suggestu graviter auditores monuerat, ut sibi a fermento fallarum doctrinarum hoc tempore àndies magis magisque denuo propullantium, & a lectione librorum pravas opiniones incrassantium diligenter caverent. Penetrarunt verba Theologi celeberrimi sicut stimuli & tanquam clavi infixi animum J Cti, qui Pietistarum Gryphiswaldensium patrocinium jamdiu Dissertatione publice edita suscepit. Existimavit se & clientes suos notari, non alio documento, quam quod à conscientia propria redargueretur. Nec mora, nec requies. Confestim in Programmate, quod more majorum in Festo Paschatis promulgandum erat, obstrepuit, pag. 4. sequentem in modum differens. *Præprimis Christianus verus orthodoxam nullis erroribus capitilibus fermentaram doctrinam religionis Christianæ renere debet.* Attamen a temporario judicio hic abstinentendum est. Sepe numero fermentum doctrinæ piis & fidelibus ab impiis affingitur, illi ab his heresijs & heterodoxiæ postulantur, damnantur. Ipse mundi Salvator omnis veritatis divina fons & que hereticæ pravitatis & blasphemiarum factus est, & quidem a Scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, qui in Judaica Ecclesia orthodoxissimi habebantur, & penes quos infallibilis potestas decernendi, quid religioni consentaneum esset, credebatur, uti pseudoorthodoxis jam tempore Jeremiæ persuasum erat, quos Propheta Jeremia

Cap.

Cap. XVIII. 18. ita locutos proponit; nam non est peritura lex a Sacerdote, & consilium a sapiente, & verbum a Prophetā. Non exiguum hæc speciem præferunt, sed si paulo penitus contempleris, haud parum fermenti in iis contineri animadvertes.

Docet Autor Programmatis, *Christianum*, verum orthodoxam nullis erroribus capitalibus fermentatam doctrinam tenere debere. Loquitur de debito. Annon vero Christianus verus errores in doctrina omnes fugere tenetur, sive capitales sint, sive minus? Tolerandum quidem in Christiano est & ferendum, si in errores præterfundamentales prolabatur, monerendus tamen, erudiendus, urgendus, ut hos etiam errores abjiciat. Quemlibet etiam veri nominis Christianum per vulnera Christi Deum orare par est, ut sibi levissimos etiam errores, quos ex infirmitate humana ipsem non agnoscat, clemēter cōdonare velit. Si secus se gerat, si existimet, parū in eo versari, num errores præterfundamentales foveat, si ejusmodi errores ne debito quidem ac officio veri Christiani quicquam detrahere opinetur, grave omnino salutis æternæ periculum incurrit. *Parum fermenti*, inquit Apostolus *1. Cor. V. 6.* totam massam fermentat. Proinde parvus etiam & tenuis in religione error segniter otiose negligenter tractatus, & tandem contumaciter defensus, universam doctrinam corrumpere valet: quemadmodum parva scintilla magnum s̄epe incendium excitavit. In Libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis non modo fundamentum fidei recte traditur,

ditur, sed & multa, quæ per se fundamentum illud haud tangunt, ex Verbo DEI egregie proponuntur. Qui jam in libros Symbolicos jurandum præstítit, annon peccat graviter, & a debito veri Christiani recedit, in præterfundamentalibus ab iis contra juramenti fidem recedens?

At temerario judicio abstinentiam esse libentissime fateor. Sed temerarium judicium non peregit Vener. Krackevitzius, ab erroneis concionibus & libris circumspecte cavendum monens. Quin & temerarium non est judicium, quando Gryphiswaldiaæ hodie fermentum falsæ & in fundamentum fidei in injuryæ doctrinæ spargi affirmatur. Rusmeyeri Socinizantes hypotheses in omnium oculos incurruunt. Balthasarem a Buddeo seductum, Pelagianas & Donatisticas in articulo de Theologia irregenitorum hypotheses fovere, nemo ignorat. Dnum D. Gebhardi cognitione Breithaupti & affinitate Balthasaris permotum, Pietismo defendendo excusando palliando operam dare, apertissime constat. Quin & Haferungio, studii sacri apud Wittenbergenses publicæ nunc perniciei & pestis ansam præbuit, Eccianam de fide in ipso actu justificationis operosa hypothesis ex orco revocandi. Nam ad Dnum D. Gebhardi in impio suo meletemate publice provocat. Autorem Programmati non fugit, Rusmeyerum instituisse diebus Dominicis conventicula Collegiorum pietatis titulo superbientia, nec nisi invitum & reluctantem Regii Consistorii jussu

ab

iis destitisse. Hæc vero conventicula quantum Ecclesiæ & antiquissimis temporibus & nostra ætate damnum ac malum dederint, obscurum, haud est. Impp. Arcadius & Honorius *conventicula illicita etiam extra ecclesiam in privatis ædibus celebrari* pie prohibuerunt, l. 15, de Episc. & Cler.

Pharisæi Pietistarum majores fuerunt. Jacobabant sanctitatem & perfectionem peculiarem, videri volebant legem servare, continebant alios, & indignabantur Christo falsas eorum doctrinas, & clandestinam impietatem ac hypocrisim detegenti. *Adversarii Jeremie orthodoxiam ejus infensis animis prosequebantur*, & spiritu persecutionis agitabantur, qui in hodiernos etiam Pietistas transiit, & in Bibliopolas & in ipsos Ministros Christi sæviens, prout recentissima in Saxonia superiori exempla ostendunt.

Incomparabilis Gerhardi versus: *Qui studium hoc ævo pietatis gnaviter urget &c.* a Pietistis prorsus immerito obtenduntur. Gerhardus studium pietatis gnaviter urgebat, sed Pietistæ amiculo pietatis carnales affectus suos, invidiam, vindictam, superbiam, ambitionem, occultant & tegunt. Gerhardus Weigelianis & Rosæcrucianis masculine restitit, & gloriam Dei per corruptelas Weigelianas labefactari, cordate, perspicue, solide, & gravi cum Zelo ostendit, vid. Disput. Ien. p. 815. usque 992. E contrario Spenerus Pietistarum Patriarcha, de Weiglio interrogatus, aperte eum & palam rejicere detrectavit, frigi-

de respondens , er habe sich Weigelii und seiner
Schriften nicht anzunehmen (vid. Rettung wider
Hn. D. Pfeiffern p. 318. 319.) ne videlicet Wei-
gelianos nimis offenderet, sed eorum etiam ac-
cessione factionem suam sectamque adaugeret.
Gerhardus Chiliasmum detestatus est , Pietistæ
vel Chiliasmum suum faciunt , vel si non am-
plectantur , tamen Spenerum aliosque Chi-
liasm̄ propugnatores in fratribus numero ha-
bent.

Inter Henricum Müllerum Lutkemannumque
ac Spenerum & Speneristas, magnum discrimen
intercedit. Præfatisset tamen , B. Mayerum.
Præfationem suam ad Postillas eorum paulo
cautius concinnasse. Erat tunc Theologus ju-
venis, nondum experientia rerum sacrarum
satis firmatus. Ignorabat etiam procul dubio
eo tempore , non adeo pio fuisse animo Lutke-
mannum , quippe qui errorem suum , Christum
moris tempore verum hominem non fuisse , rejicere
noluit, propterea quod vocationem Guelpher-
bytanam nactus esset , vid. B. Grapii Evangelis-
ches Rostock p. 510. Cur autem Programma-
tis Autor B. Mayeri Zelum contra Spenerum &
Speneristas , in cathedra , in suggestu , ac in tot
solidissimis scriptis demonstratum non potius
commendat , quam Præfationem istam juveni-
li ætate minus circumspecte compositam? Gra-
vissimis sane obtestationibus periculum purioris do-
ctrinae , quod a Pietistis imminet , summo jure
cum alibi tum in Homilia , das mit dem weinenden
Jesu bittersich weinende Jerusalem , intonuit. Sed
ita

ita multis solenne est, ut sputa magnorum virorum avide lingant, ab esca autem cœlesti in eorum scriptis obvia fastidiose abhorreant.

Quæ de innocentie loquendi formula p. 6. subjicit, fortasse phrasin ipsius respiciunt, qua in Pentecostali proximi anni Programmata, *Spiritum S. modum procedendi in cœlesti Academia didicisse* scripsit. Ea vero innocens non est, sed æternæ Spiritus S. omniscientiae adversatur. Interim Programmatista ob eam non erit hæreticus, si eam pertinaciter non defendat, etiam si enarrasse ejus in rebus Divinis *in scitu i.e. documentum præbeat*. Quod si vero eam pertinaciter tueri aggrediatur, heterodoxie notam haud effugiet.

Non satis esse, fermentum doctrinæ expurgare, sed vitam etiam Christianorum a fermento intaminatam esse debere, vere pronuntiat. Ultinam vero & falsæ doctrinæ & vita minus Christianæ fermentum ex animis suis Pietistæ expurgarent! Est alicubi (non tamen Gryphiswaldiæ) JCtus, quem Pietistæ dignum censuerunt, cui de sacris controversiis judicium ferendi provincia demandaretur. Is triobolare scortum in deliciis habuit, in ædes suas admisit, a conjuge & liberis obtestationibus gravissimis frustra rogatus, ne tantam existimationi suæ maculam inureret. Itaque expelli per vim scortum, atque sic expurgari turpe fermentum oportuit. Est Gryphiswaldiæ nonnemo: quis & qualis sit, commemorari nil, attrinet. Ille in æde sacra conciones audiens cum offendiculo aliorum caput subinde quassat, & spuere allaborat, cum tamen
spu-

iputum non emittat. Hi mores non decent in-
ter auscultationem verbi Divini Christianum,
multo minus Virum, in cuius exemplum alios
intueri par est. In Saxonia est nonnemo, qui
sacro officio fungitur, & jugum Pietisticum ani-
mo circumfert. Hic intra tres anni quadran-
tes semel ad Sacram Cœnam accessit, imme-
mor Catechismi majoris, in quo recte inculca-
tur, tam diurna sui a Sacramento alienatione in-
dies singulos etiam atque etiam frigidiores & barba-
riores evadere, p. 562. Talia & innumera alia,
quæ in Sanctulis de grege fanaticorum quotidie
conspiciuntur, pertinent ad fermentum vita,
omni studio expurgandum.

